

nabiles differentium Doctorum opiniones, adeò luculenter narraſſe dicitur Gabrieli Naudæo, ut mirum ſit, Cardanum habuiſſe, unde poſt ipſum racemat. ones & ſpic. legia colligeret. Apologeticon hoc Ruſſiliani in celeberrimis Lipſienſium Bibliothecis, licet omni cura inquiſiverim, hujus tamen veſtigium quidem invenire potui, ut adeo tria illa Nativitatis Chriſti Themata à Ruſſiliano erecta cum L. B. communicare nequeamus. Cæterum hoc triplex Thema intelligendum eſſe puto, juxta triplicem erigendi Thematis modum, ſcilicet ſecundum Avenæſæ vel Regiomontani Rationalem, Ptolomæi ac Firmici Æqualem, & tertium Campani vel Alcabitii modum: de quibus conſulantur Astrologorum ſcripta, in doctrina de Circulis Domorum Cœleſtium.

§. VIII.

Paulò poſt Ruſſilianum pari nugarum fuco ſibi placuit LUCAS GAURICUS, è Regno Neapolitano oriundus, qui magni nominis Astrologus vixit ab anno 1526, uſque ad ſexageſimum ejus ſæculi annum, quo tandem Romæ diem obiit ſupremum. Scripſerat hic ad Paulum III, à quo ad Episcopatum Civitatenſem evectus fuit, Calendarium Eccleſiaſticum novum (e) ex ſacris Literis probatisque ſanctorum Patrum Synodis excerptum, in quo Cardinalis Cameracenſis figuram, ſeu conſtitutionem planetariam Natali Chriſti congruentem, quam ſub Fig. III. depinximus aſſert; cujus Nativitatis momentum ex traditione Eccleſiæ, multorumque opinione, in mediam noctem incidere quidem debebat, at rationem urgentem ſe habere arbitratus eſt, cur Thema Alliacenſis corrigeret, & ex Tabulis Alphoniſinis ad diem 24 Decembr. hor. 10. min. 4. poſt meridiem, hoc eſt hora 1, min. 56. ante mediam noctem, novum exhiberet. Ad eundem Incarnationis Chriſti annum, quam vertente anno Mundi 5200 poſt diem Saturni 24. Decembr. hora 12. quâ medium ſilentium tenuerunt omnia, factam eſſe ſtatuit, ſupputavit & ipſe Servatoris noſtri Horoſcopum (qui ſe ſub Fig. V. conſpiciendum præbet) ſub finitore Hieroſolymitano, ſuppoſita ibi poli altitud. 32. grad. & longitud. ab Inſulis fortunatis 66. grad. juxta calculum Alphoniſinum; in quo cuspis primæ domus non eſt Virginis grad. 8, ut Cardinalis Cameracenſis cum omnibus ſuis Antecęſſoribus putaverat, ſed Libræ grad. 2. min. 35. ut cuilibet in dictâ figurâ patebit. Ceterum auctor noſter Gauricus in ſæpius allegato Calendario, ex Salvatoris e-recto ſpeculo genethliaco nullum fert Judicium: quod vero idem ibi in ſuis ſcriptis ediderit, nulli dubitamus, quia morbo hoc peſtilentiario totus, quantus quantus erat, infectus fuit. Inter alia teſtantur hoc Ephemerides  
ejus

(e) Venet. anno 1552 in 40. excuſum Themata habentur p. 24 & 15.